



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

433. An, & qualiter expiret ex superveniente incapacitate Coadjutoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Quaestio 432. An & qualiter expiret Coadjutoria per assecutionem beneficii incompatibilis?

R Esp. Si post obtentam Coadjutoriam Coadjutor assequatur beneficium cum es incompatible, expirat Coadjutoria; neque ex vi illius potest in prabenda succedere. Wamels. *de jure pontif. conf. 16. n. 9.* Remouch. *cit. c. 17. n. 3.* remissive Tondut. *qq. benef. p. 2. c. 1. §. 13. n. 33.* Castropal. *tract. 13. d. 1. p. 10. n. 30.* citans Garciam *p. 4. c. 5. n. 123 & 124.* uti idiplum e jusque ratio manifeste colligitur *ex clem. gratia. de rescript. ibi: censis renunciare gratia, ut de beneficio vel dignitate providearis, si ante adeptionem ejusdem aliud beneficium pacifice obtineas, quod simul de jure cum dignitate vel beneficio virtute dicta gratia tibi debitor evincere non possis, licet illud resignaveris, aut sis resignare paratus &c.* quam constitutionem non intelligendam tantum de gratis mire expectativis, sed comprehendere etiam Coadjutorias veras cum futura successione, fuse ostendit Wamels. *loc. cit.* per plures numeros *seq.* Neque elides rationem datam in dicta constitutione, nempe quod talis per adeptionem talis beneficii non censeatur adhuc renunciasse futurae successioni, dicendo: ad hoc, ut beneficium vacet per assecutionem alterius incompatible, necessaria est assecutio realis cum perceptione fructuum; adeoque, cum Coadjutor non fuerit adhuc assecutus possessionem primi beneficii, seu respectu cuius est Coadjutor ante eventum obitum Coadjuti, non videtur per adeptionem secundi beneficii incompatible renunciasse futurae successioni. Nam ex alio adhuc capite, ut Tondut. *loc. cit. d. n. 34.* indicat, videtur renunciasse illi successioni; quia nimirum admittentem

do tale beneficium cum Coadjutoris officio incompatible, reddidit se inhabilem ad fungendum munere Coadjutoris; superveniente autem tali inhabilitate, cessat Coadjutoria, de quo sic

Quaestio 433. An & qualiter expiret Coadjutoria ex superveniente incapacitate Coadjutoris.

R Esp. Coadjutoria aequae cessat per supervenientem inhabilitatem Coadjutoris, ac per obitum Coadjuti ob paritatem rationis in utroque casu, nempe, quod sicut Coadjutore reddito inhabili, nullus est, qui adjuvet, sic mortuo Coadjuro nullus sit, qui adjuvetur; sic itaque, si Coadjutor efficiatur omnino inhabilis & impotens inhabilitate, vel impotentia perpetua, cessat Coadjutoria. Tondut. *qq. benef. p. 2. c. 2. §. 1. n. 35. & 36.* testans sic dictum a Rota *decis. 602. n. 3. & seq. p. 8. recent.* ubi dictum fuerit, quod si Coadjutor factus fuerit caecus, aut irregularis, seu alia incapax ad possidenda beneficia, corrumpit futura successio, nisi Coadjutoria esset effectuatam quoad futuram successione, utpote quia mortuus esset Coadjutus; tunc enim caecitas post mortem Coadjuti superveniens non privaret Coadjutorem (qui jam principalis factus est) beneficio, in quo Coadjutor deputatus fuerat. At si impedimentum superveniret gratia futurae successione nondum confirmata, haberetur pro non facta tanquam redacta ad illum casum, a quo incipere non poterat, ut dicitur in *Valentina Coadjutoria 12. Jan. 1637.* quae est ipsa illa *decisio 602. teste Tonduto.*



CAPUT UNDECIMUM.

De Coadjuti obligatione & potestate.

Quaestio 434. Num Coadjutus in idoneus teneatur permittere administrationem Coadjutori?

R Esp. affirmative. Remouch. *cit. c. 14. n. 1.* idque, ut idem *ibidem* sive coadjutus consenserit in dationem Coadjutoris, sive non consenserit; aequum enim est, ut ille, qui ob corporis impotentiam aut negotiorum multitudinem non potest munus illi incumbens explere, permittat illud per Coadjutorem suppleri. Verum non solum aequum esse videtur Remouch. *loc. cit.* sed & ad hoc absolute teneri Coadjutum, evincit causa, ob quam datus Coadjutor, nempe necessitatis, aut utilitatis ecclesiae, ne scilicet illa propter impedimentum Praelati detrimentum patiat. Unde etiam Castropal. *tract. 13. d. 1. p. 10. n. 9.* multandum judicat talem Coadjutum impeditum, nolentem pro se tempo-

re illius impedimenti deservire Coadjutorem. Sed neque contrarium inferri videtur ex eo, quod diximus supra ex Engels *ad tit. de cler. agror. n. 6.* non teneri Coadjutum deservire per suum Coadjutorem in iis casibus, quibus alias ob legitimum impedimentum possit in absentia lucrari fructus & distributiones. Licet enim hinc formari posset haec sequela: si non tenetur in eo casu inservire per Coadjutorem, potest etiam eum impedire ne deserviat, absque eo, quod amittat fructus aut distributiones: non tamen sequitur, posse illum impedire Coadjutorem absque eo, quod per hoc peccet, dum aliunde ad illum non impediendum tenetur, nempe ne cultus divinus, & Ecclesia damnum patiat.

Quaestio